TOMI I. PARS XXV.

ANGLICANÆ NATIONIS

&

MARTINI PAPÆ V.

CONCORDATA

QVOAD SUPREMI ECCLESIASTICI REGIMINIS REFORMATIONEM,

In Oecumenico Constantiensi Concilio

A. 1418. *circa mensem Februarii* parata,
d. 21. *Martii* in publico Concilii consessu roborata,
d. 12. *Julii* in Librum Cancellariæ conscripta,
d. 21. *Julii* Roberto Nevilli Anglo exhibita.

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI,

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.

DUCIS &c.

Ex antiquissimo Codice MSCto ANGLICANO

BIBLIOTHECÆ ACADEMIÆ CANTABRIGIENSIS

eruta,

ac luci exposita ab

HERMANNO von der Hardt.

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1697.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

MSCti Codices
Actorum Concilii Constantiensis
Ad sessionem publicam
A. 1418. die 21. Martii.

* * *

Placent Nationibus decreta recitata,
& Cuilibet Nationi
placet
CONCORDIA
cum ipsa
per Dominum nostrum
facta:
Et per præmissa
fatentur
decreto etiam jam esse satisfactum.
Non intendentes præterea
quod Concordata cum una Natione
in aliquo
alteri Nationi
præjudicium afferant.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



HERMANNUS von der Hardt
Lectori S. P.

DIstributus in principio Concilii, Sigismundi Imperatoris & Magnatum consilio, totus erat orbis Christianus, Constantiam confluens, in *Nationes*, vota de rebus arduis in concilio concepturas. Earumq; primùm constitutas fuisse *quatuor*, abunde notum: *Germanicam, Anglicam, Gallicam, Italicam.* Qvibus dein addita *quinta, Hispanica*, ab Hispanorum ad Concilium adventu.

Qvanquam vero Johannes XXIII. hanc orbis in Concilio præsentis distributionem, atquehoc singulare in Concilio vota concipiendi jus ac genus, per Nationes distributum, ægerrime ferret: Qvod alibi fusius ostendetur: Salutem tamen publicam, ex hoc jure oriundam, suis machinis subruere haud sustinuit.

Neqve fortior fuit scrupulus, qui subito evanuit, quem *de Anglis* in Concilio ceteris injicere tunc contenderunt Galli: *Illine singularem in Concilio Nationem referrent, ac peculiare votorum jus, ceteris Nationibus par, tenerent?* Qvæ liticula luculenter constat ex *Legatorum* Galliæ & Angliæ Regum *protestationibus*, circa hanc rem in Constantiensi Concilio expositis.

Robertus Wyngfield, Eques Anglus, Angliæ Regis Consiliarius, apud Cæsarem Maximilianum in superioris seculi exordio Regis sui orator, legationis suæ fato ac lege *Constantiam Germaniæ* delapsus, *ex perantiquo laudatissimæ urbis Codice MSCto*, Senatus indultu, per fidos Notarios hanc, in Constantiensi Concilio editam inter Gallos & Anglos de Nationis ac voti in Concilio jure Disputationem non inelegantem, excerpsit. Eamq; dein *Richardo Lepido Bartholino*, viro erudito, eden-

dam submisit. Qvi *A.* 1517. *Lovanii* hoc præstitit sub hoc charactere: *Nobilissima Disceptatio super dignitate & magnitudine Regnorum Britannici & Gallici, habita ab utriusque oratoribus & legatis in Concilio Constantiensi.*

Qvam eruditam inter Gallos & Anglos de Nationis charactere ac votorum in Concilio illo prærogativa disceptationem, hoc seculo *A.* 1672. *Parisiis* in Regia Tomorum Concilii editione, ex alio *MSCto Codice* petitam, in Appendicem Actorum Concilii Constantiensis conjecit Labbeus. *Protestationem* nempe *Ambasiatorum Regis Franciæ, pro justitia ejusdem Regis elucidanda*, f. 1727. commemoravit: *Protestationes* autem *Anglicanorum*, f. 1739. usque ad 1753. pertexuit. Qvæ *Labbeana recensio* multo est curatior primâ ac superiori illâ, nec tamen ubique perfecta.

Sed & novissime, *A.* 1690. *Londini* resuscitata est pulchella hæc in Const. Concilio inter Anglos ac Gallos de Nationis ac votorum in Concilio jure agitata dimicatio: *Vitæ Reginaldi Poli, Cardinalis ac Cantuariensis Archi-Episcopi* ab editore anonymo attexta. Sectatus verò editor hic, dilucidioris paulo Labbeanæ recensionis immemor, primæ editionis Wingfeldianæ aut Bartholinianæ vestigia, obscuriuscula sæpe atque haud discernenda. Neque sine causa dolet vir eruditus, sero nimis se expertum, *in Bibliotheca Collegii S. Trinitatis in Academia Cantabrigiensi MSCtum* hujus concertationis elegantis *Codicem* asservari, alioquin elegantius se exornaturum hunc fuisse libellum.

Nos volente Deo, *alio* hujus operis *Tomo* bellam hanc atque amicam dimicationem literariam concinnius aliquanto repetere constituimus.

Ita ergo *Anglis* dubium quidem in Concilio motum à Gallis de Nationis peculiaris charactere & votorum proprio jure: Ast irrito eventu. Siquidem Angli suarum rationum pondere atque virtute superiores evaserunt, ac jus omne, ceteris Nationibus ex asse par, sibi vindicarunt, & illæsum constanter servarunt.

Qvapropter in cunctis Concilii negotiis *Anglicana Natio Deputatos*, æque ac ceteræ, suos *dedit*, rebus arduis Concilii interfuturos. Sicuti vel proxime ante Pontificis electionem, in difficili quæstione, de Reformationis ac Pontificis eligendi ordine, Anglica natio cum Germanica, reformationem electioni præmittendam esse, contra Gallos, Italos, ac Hispanos ursit, donec in horum partem pelliceretur.

Qvod suum jus ut *ante* ita & *post electionem Pontificis* Martini V. *tuita* inclyta Anglicana Natio. Qvo effecit, ut, cum Martinus sigillatim cum Nationibus distinctis transigeret de Reformationis momentis, seorsim quoque *cum Anglicana natione*, æqve ac antea cum Germanica, nova iniret *Concordata*.

Siquidem in *Reformatorio Constantiensi* cum ceteris Nationibus & Anglicana per suos Deputatos Ecclesiastici Regiminis per Pontificem in Anglia suffulti emendationem enixe quæsiverat.

Qvo inter alia quoq; spectat, quod *in antiquo Codice MSC. Bibliothecæ*

Paulinæ

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Paulinæ Academiæ Lipsiensis pro Anglicana Natione in *Reformatorio Constantiensi* decretum legimus, hic jure meritoq; commemorandum.

De Collationibus Beneficiorum pro Natione Anglicana.

„ QVia, sicut tempore Apostolorum, & postmodum successive, *Ecclesia doctrinis & exemplis, ac cura pervigili Prælatorum, &* „ *ministrorum idoneorum, scientificorum & honeste viventium,* divina gratia favente mirabiliter *crevit:* Sic proh dolor eadem „ Ecclesia *per defectum prædicatorum & bonorum exemplorum, ac negli-* „ *genti cura prælatorum, & insufficientia ministrorum* ipsius Ecclesiæ, la- „ mentabiliter conculcatur & laceratur: His diebus *hæc sacrosancta syn-* „ *odus,* volens, quantum in ipsa est, *remedium* in ea parte adhiberi opti- „ mum, ordinat & decernit, quod *Papa,* pro tempore existens, in suis „ provisionibus ad prælaturas, & alia beneficia Ecclesiastica, *mentem* ha- „ beat & *gerat specialem ad Doctores in Theologia, Jure canonico & civi-* „ *li,* & ipsis juxta eorum habilitates & sufficientias ad gubernandum in „ spiritualibus & temporalibus provideat inter alios.

„ Item quod Archi-Episcopi, Episcopi, Abbates, priores, & alii qui- „ cunque spirituales, beneficiorum collatores, *Doctores in Theologia, ju-* „ *re canonico & civili, ac magistros artium & Licentiatos in* „ *jure canonico & civili,* nec non *Baccalaureos in Theologia,* ad quæcun- „ que beneficia, cum cura, extra Ecclesias Cathedrales existentia, quam- „ diu aliqui hujusmodi *Doctores, Magistri,* sive *Licentiati,* nati in diœce- „ sibus, ubi hujusmodi beneficia existunt, non promoti fuerint, semper „ unum ex omnibus hujusmodi beneficiis, ex nunc simul vel successive „ vacaturis, conferant, seu ad ea præsentent, in forma juris, de tempore „ in tempus.

„ Qvi quidem *Doctores in Theologia,* & alii prædicti sic promoven- „ di, super eisdem beneficiis suis *resideant, & suis doctrinis & exemplis* „ *populum informent in lege Christi.* Et ad hoc per suos Ordinarios im- „ pellantur &c.

„ Item Archi-Episcopi & Episcopi in collationibus beneficiorum in „ Ecclesiis Cathedralibus & collegiatis *Doctores in Theologia & Jure ca-* „ *nonico* sic habeant recommissos, quod in Ecclesiis Cathedralibus & col- „ legiatis dignitates & *beneficia, pro Theologia sive Jure canonico in eis-* „ *dem Ecclesiis legendis fundata,* per hujusmodi Doctores in Theologia „ & jure canonico, & non per alios quovismodo occupentur, juxta natu- „ ras & fundationes eorundem beneficiorum.

„ Qvi quidem *Doctores Theologiæ & Juris canonici in eisdem Ecclesiis* „ juxta easdem naturas & fundationes *personaliter & continue legant.*

„ Præterea iidem Archi-Episcopi & Episcopi alias dignitates, cano- „ nicatus & præbendas in singulis suis Ecclesiis cathedralibus & collegia- „ tis sic conferant, quod, quamdiu hujusmodi Doctores, Baccalaurei si- „ ve Licentiati, *in suis diœcesibus nati* & non promoti, seu unicum bene- „ ficium tantum & hoc curatum habentes, reperiri poterunt *idonei:*

„ Inter quatuor hujusmodi dignitates seu præbendas, per mortem sive
„ resignationem in eisdem Ecclesiis Cathedralibus & collegiatis vacatu-
„ ras, unam conferent alicui eorundem.

„ Et præterea alios hujusmodi Doctores & Licentiatos, & Baccalau-
„ ros, juxta sua merita, scientias & habilitates, *extra suas diœceses natos,*
„ habeant in aliis collationibus suis, ad hujusmodi dignitates & præben-
„ das in eisdem Ecclesiis cathedralibus vacaturis, recommissos, juxta
„ suas conscientias, & secundum quod utilitati Ecclesiarum videbitur
„ expedire.

„ Et omnes Doctores & Licentiati & Magistri & Baccalaurei prædi-
„ cti, vigore præsentis ordinationis sive decreti promovendi, super be-
„ neficiis hujusmodi juxta naturas & fundationes eorundem *resideant*
„ & morentur. Nisi habeant causam juridicam sive rationabilem absen-
„ tiæ suæ.

„ Et ad finem, ut præmissa effectualiter exequi valeant, *Cancel-*
„ *larii* vel *Rectores universitatum* pro tempore existentes, de nominibus
„ hujusmodi Doctorum, Licentiatorum ac Magistrorum & baccalaureo-
„ rum, Ordinariis locorum, in quibus nati existunt, certificent de tempo-
„ re in tempus.

Qvemadmodum igitur tandem Martinus V. divisim cum Nationibus *de Reformatione* agere & transigere cœperat, Germanicæ Nationi sua impertiens Concordata, superiori Parte à nobis exhibita: Ita & *Anglicæ Nationi* similia seorsim in Concilio dedit *De Reformatione supremi Ecclesiastici regiminis Concordata.*

Debemus nobilem hanc Actorum Concilii Constantiensis partem incompatibili *Magnæ Britanniæ* beneficio.

Illustrissimorum quippe *Angliæ Magnatum*, *ARCHI-EPISCOPI CANTUARIENSIS, & EPISCOPI SARISBERIENSIS*, gratiâ & auxilio factum, ut Viri Clarissimi, Dn. RODERICUS ac Dn. LAUGTHONUS, Cantabrigiensis Academiæ Antistites, in Excerptis, ex MScto Codice Actorum Concilii Const. in Cantabrigiensis Academiæ Bibliotheca sancte asservato, nobis benevole communicatis, plene exhiberent hæc *Martini V. cum inclyta sua Natione in Constantiensi Concilio inita de Reformatione Concordata.*

Ceterum *A.* 1418. *circa mensem Februarii* hanc transactionem à Martino cum Anglis esse paratam atque illis communicatam, ex Concilii fatis patet. Siquidem cum Germanis sub finem mensis Januarii Martino convenit, Et mense Martio initis cum omnibus Nationibus concordatis ultima jam fuit imposita à Martino manus. Interea temporis & cum Anglis ita pactus Martinus.

Memorata ac denunciata & hæc cum Anglis æque ac illa cum Germanis inita religiosa pacta, in publico Concilii consessu *d.* 21. *Martii.*

Eodemq; tempore & hæc Anglicana Martinianaq; transactio publicum visa est Concilii impetrare calculum roburqve duraturum, quando *Martinus* per Cardinalem, Vice-Cancellarium, Johannem Ostiensem Ep. specialem harum rerum directorem, palam enunciari co-

ri coram Concilio Nationum nomine jussit: *Placere cuilibet Nationi concordiam per Papam cum ipsa factam.*

An autem exemplo Gallorum olim hæsitaverint alicubi circa hæc Concordata & Angli, nostrum non est definire. Magnis eruditorum Anglorum luminibus, quibus abstrusa Bibliothecarum ac tabularum reconditarum penetralia in amplissimo illo Regno patent, hæc pervidenda ac dijudicanda relinqvimus.

Ceterum uti Conciliariter & hoc Anglorum & Martini sacrum fœdus denunciatum ac confirmatum: Ita & ex Martini voluntate, exemplo Concordatorum Germanorum, *libris Cancellariæ* hæc Anglica conventio *d.* 12. *Julii inscripta.* Unde ab Anglis petentibus hæc depromenda atque impertienda essent, disponente Johanne, Ostiensi Episcopo, in Cardinalium Collegio Vice-Cancellario. Cujus autoritate ac sigillo roborandum *quodlibet* erat *Concordatorum exemplar*, Anglis tradendum.

Qvale exemplum *Præfatione ac testimonio Vice-Cancellarii* laudati ejusdemqve *epilogo* ac *subsignatione* munitum, illud extitit, cujus, d. 21. Julii Venerabili Anglicanæ Ecclesiæ membro proxime à Concilii fine exhibiti, ex *Anglicano Cantabrigiensi Codice MScto* recensionem hic exhibemus. Qvæ præfatio Cardinalis, etsi par illi, quam Germanis aliquibus illum dedisse aliàs vidimus, omitti hic haudquaquamdebuit: Qvod ad integritatem atque fidem religiosi fœderis Martiniani pertineat.

Summam Capitum distinctis numeris atque formulis designare, ac illa etiam ratione opusculum quodammodo exornare, hujus seculi decor & lectorum commodum postulavit.

ANGLICANÆ NATIONIS & MARTINI V. PAPÆ CONCORDATA

Qvoad supremi Ecclesiastici regiminis emendationem, *In Constantiensi Concilio, sub illius finem, A.* 1418. conscripta atque publicata.

Ex antiqvissimo Codice MSCto Anglicano *BIBLIOTHECÆ ACADEMIÆ CANTABRIGIENSIS.*

PRÆFATIO AC TESTIMONIUM JOHANNIS, EPISCOPI OSTIENSIS, Cardinalis & Vice-Cancellarii.

UNiversis & singulis JOHANNES, *miseratione divina* EPISCOPUS OSTIENSIS, *Sanctæ Rom. Ecclesiæ* CARDINALIS ac VICE-CANCELLARIUS, Salutem in Domino, & præsentibus fidem indubiam adhiberi.

Si juxta laudabilem antiquorum sententiam & providum sapientum consilium dignum est, ea, quæ majorum consultissima providentia in subditorum gratiam & commoda geruntur, scripturæ testimonio redigere: Dignum per consequens & rationi consentaneum, ut adeo nota sit eorum veritas, quod inde nec desit pacificis oportuna provisio, nec usqvam perversis sub ignorantia variandi supina facultas relinquatur.

Concordata inter Martinum V. & Anglos in Constantiensi Concilio facta.

Cum itaque nuper *inter* Sanctissimum in Christo Patrem & Dominum Nostrum, Dominum MARTINUM, divina providentia PAPAM V. & Reverendos Patres, Prælatos, nec non egregios & circumspectos viros, Ambasiatores, Procuratores, Doctores & Magistros, ceterosqve, *venerabilem* NATIONEM ANGLICANAM, *in generali Constantiensi Concilio repræsentantes & facientes*, nonnulla CAPITULA CONCORDATA, & ab utraque parte sponte suscepta: Nec non de dicti Domini Nostri Papæ mandato *in libro Cancellariæ* Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in quo Romanorum Pontificum constitutiones & ordinationes solent conscribi, ad futuram rei certitudinem, nobis operam dantibus, prout ad nostrum spectat officium, *die XII. mensis Julii* Pontificatus dicti Domini nostri Papæ Anno I. *conscripta* fuerunt: Adjecto, quod sub nostrarum literarum testimonio indigens quisque sibi *testimonium* sumere valeat in toto, vel in ea parte, qua indiguerit eorundem: Nos igitur, ad Venerabilis Viri, *Roberti de Nevilli, Canonici Ecclesiæ Eboracensis, Parochialis Ecclesiæ de Spoffoord Rectoris*, instantiam, CAPITULA hujusmodi, ut præfertur, *CONCORDATA*, & sponte suscepta, *ex integro* ex libro prædicto *de verbo ad verbum* fideliter *transcribi*, & præsentibus annotari fecimus. Qvorum tenor sequitur ad hunc modum.

In librum Cancellariæ relata A. 1418. *d.* 12. *Julii.*

Roberto de Nevilli Concordata Anglicana sunt exhibita.

CAP.

CAP. I.

De numero & Natione Cardinalium.

Numerus Cardinalium sit moderatus. Ex omnibus regnis eligendi Cardinales.

INprimis quod *numerus Cardinalium* sanctæ Romanæ Ecclesiæ adeo sit *moderatus*, quod *non* sit *gravis Ecclesiæ*, nec nimia numerositate vilescat. Qui indifferenter *de omnibus regnis* & provinciis, totius Christianitatis, ac cum consensu & assensu Collegii Dominorum Cardinalium, vel majoris partis eorundem, *eligantur* & assumantur.

CAP. II.

DE INDULGENTIIS.

Indulgentiarum olim abusus in Anglia.

ITem, quod, cum *occasione* diversarum *indulgentiarum*, ac literarum facultatū à sede Apostolica concessarum, *ad absolvendum* quoscunque visitantes, sive offerentes in certis locis, & *questurarum* quamplurimarum, *quæ in Anglia plus solito nunc abundant*, nonnulli peccandi audaciam frequenter assumant, ac contemtis suis propriis Curatis, & Ecclesiis suis parochialibus dimissis, ad ipsa loca *spe indulgentiarum* & confessionum accedunt, decimas, oblationes & debita dictarum Ecclesiarum parochialium subtrahunt, seu solvere differunt minus juste: *Committatur Diœcesanis locorum, ad inquirendum super qualitate earum, cum potestate suspendendi* omnino autoritate Apostolica illas, quas invenerint *scandalosas*, & illas denunciandi Papæ, ut illas revocet &c.

Diœcesani inquirant in indulgentias adversas.

CAP. III.

De Appropriationibus, unionibus, incorporationibus, Ecclesiarum & Vicariatuum.

Appropriationes Ecclesiarum sublatæ.

ITem, De cætero *nullæ fiant appropriationes Ecclesiarum* Parochialium motu proprio: Sed *committatur Episcopis locorum* ad inquirendum de veritate suggestionum. Et in eventum, quo per debitam & juridicam notionem constare poterit, *quod causæ Appropriationum desint*, legitime procedatur ad Appropriationem, *prout fuerit juris illarum Ordinariorum.*

Quæ jam sunt *sortitæ effectum*, *nulla fiat*, si ex revocatione sequi possit scandalum.

Aliàs vero committatur, quod *inquirant* &c. Et quas invenerint fieri merito non debuisse, vocatis tunc ad hoc vocandis, *cassent* &c.

Uniones Vicariarum perpetuarum revocatæ.

Item. Omnes *uniones*, *incorporationes*, *appropriationes* & *consolidationes Vicariarum perpetuarum* in Ecclesiis Parochialibus, ex quibuscunque causis factæ à tempore schismatis, indistincte *revocentur*, & *Vicarii perpetui* in iisdem per Ordinarios locorum hac vice ordinentur & instituantur.

Vicarius perpetuus sit in Ecclesiis Parochialibus.

Ac in singulis Ecclesiis parochialibus sit *unus vicarius perpetuus*, qui curæ insistat animarum, bene & competenter dotatus, pro hospitalitate ibidem tenenda, & omnibus debitis supportandis.

Literis Apostolicis, & Ordinariorum compositionibus, statutis, & consuetudinibus, ac aliis in contrarium factis, non obstantibus quibuscunque.

CAP. IV.

De ornatu Pontificali inferioribus Prælatis non concedendo.

ITem omnia *privilegia*, citra obitum felicis recordationis Gregorii Papæ XI. concessa Prælatis inferioribus *de utendo Pontificalibus*, scilicet *Mitris*, *Sandaliis*, & hujusmodi ad dignitatem Pontificalem pertinentibus, *revocentur.*

Quæ vero ante obitum ipsius Gregorii concessa fuerint, in suo robore permaneant & effectu.

CAP.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

CAP. V.

DE DISPENSATIONIBUS.

Dispensationes super pluralitate beneficiorũ prohibita.

ITem. Licet *pluralitas beneficiorum* canonibus exosa existat, aut super ea *dispensationes*, jure hoc dictante, fieri non debeant, nisi personis nobilibus & viris eximiæ liberalitatis: Nunc tamen in Curiis Dominorum, tam spiritualium, quam temporalium, tales dispensationes irrepserunt: Præmissa, seu eis consimilia, de cætero *non fiant*, sed in præmissis servetur Concilium Generale.

Illæ tamen, quæ sunt sortitæ effectum, in suo robore permaneant. Nisi forte aliquæ fuerint & sint *scandalosa*. De quibus fieri mandamus concessionem locorum Ordinariis, & Ordinarii certificent, & *revocentur scandalosa*.

Dispensationes de sacris ordinibus vetita.

Item, quia modernis temporibus plus solito cum diversis personis, *infra Regnum & Dominia prædicta* beneficia curata obtinentibus, per sedem Apostolicam *contra jura communia dispensatum* existit, *ut per tres, quatuor, quinque, sex & septem annos* vel ultra, aut in perpetuum beneficiati prædicti ipsa beneficia possidere & occupare valeant, sic *ut ad ordines debitos interim ordinari minime teneantur*, in grave scandalum Ecclesiæ, &c. Omnes *dispensationes* hujusmodi indistincte *revocentur*.

Et beneficiati hujusmodi ordinationi juris communis in hac parte omnino subdantur. Si tamen beneficiati prædicti sint alias habiles ad hujusmodi ordines suscipiendos.

Dispensationes de non residendo in Ecclesia, repudiata.

Item, quia propter *dispensationes* sedis Apostolicæ, nonnullis personis infra Regnum & Dominia prædicta, *super non residentia*, nec non Archidiaconis ad visitandum per procuratores, factas, non solum animarum cura negligitur, sed etiam potestas Episcopalis per impetrantes dispensationes hujusmodi contemnitur: *Nullæ dispensationes deinceps fiant absque causa rationabili & legitima*, in literis dispensationum hujusmodi exprimenda.

Concessæ autem absque causa rationabili, sive legitima, *revocentur*. De quibus fiat commissio Ordinariis.

De officiis Ecclesiasticis monachis conferendis.

Item omnes *litera facultatum concessæ religiosis* quibuscunque, *infra regnum & dominia prædicta*, de obtinendo beneficia Ecclesiastica, curata vel non curata, quæ non sunt sortitæ effectum, indistincte revocentur.

Abstineatur de cætero ab hujusmodi literis facultatum concedendis.

CAP. VI.

De Anglis ad officia Ro. curiæ assumendis.

ITem, quod aliqui etiam *de Natione Anglicana*, dummodo tamen sint idonei, *ad singula officia curiæ Romanæ assumantur* una cum aliis, de cæteris Nationibus, indifferenter &c.

Conclusio & repetitum testimonium Johannis Ostiensis, Cardinalis & Vice-Cancellarii.

Literæ bullatæ de his Concordatis Anglis dandæ.

ITem, quod super omnibus & singulis præmissis Dominus Noster summus *Pontifex* mandet & fieri faciat prædictæ *nationi Anglicanæ* unam vel plures, ac tot, quot fuerint requisitæ, *literas* suas *Bullatas*, in bona forma, ac gratis de Mandato, ad perpetuam rei memoriam.

Hæc itaque universitati vestræ tenore præsentium firmiter attestantes, easdem nostras literas præsentes, in horum fidem & testimonium, præfato *Roberto Nevilli* concessimus, nostri sigilli munimine roboratas.

Subscriptio Johannis Ostiensis, Cardinalis & Vice-Cancellarii.

Datum *Gebennis*, in Domo habitationis nostræ, sub *Anno à Nativitate Domini M CCCC XVIII.* Indictione XI. die vero *XXI. mensis Julii.* Pontificatus præfati Domini nostri Papæ Anno I.

Anti-

Antiqva hæc
De ſupremi Eccleſiaſtici Regiminis Reformatione
CONCORDATA
CONSTANTIENSIA,
inter
INCLYTAM NATIONEM ANGLICANAM
& MARTINUM V. PAPAM
inita,
SIGISMUNDO
ROMANORUM IMPERATORE,
HENRICO
ANGLIÆ REGE,
A. M CCCC XVIII.
in Oecumenico Concilio
ſub Germanico cœlo
Conſtantiæ
circa *menſem Februarii* adornata,
die 21. *Martii*, haud longe ante Concilii finem
in publico Concilii conſpectu ac conſeſſu
à Martino denunciata ac confirmata,
d. 12. *Julii*, proxime à Concilii fine
Gebennæ in Cancellariæ librum relata,
indeq; *die* 21. *Julii* deſcripta,
& petenti
ROBERTO de NEVILLI, Anglo,
Eccleſiæ Eboracenſis Canonico,
& Parochialis Eccleſiæ de Spoffoord Rectori,
à JOHANNE, Oſtienſi Epiſcopo
Cardinale & Vice-Cancellario
ad Concilii decretum & Papæ mandatum
Gebennæ cum ſigillo exhibita:

Nunc

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Nunc tandem
Anno M DC XCVII.
Invictissimo
MAGNÆ BRITANNIÆ REGE
MAGNANIMO
WILHELMO,
ARCHI-EPISCOPI CANTUARIENSIS
gratioso indultu,
& EPISCOPI SARISBERIENSIS
benignissimo auxilio,
Clarissimorum
Academiæ Cantabrigiensis Antistitum
RODERICI
& LAUGTHONI
sagaci operâ,
Ex antiquissimo Codice MSCto
Inclytæ Bibliothecæ Academiæ Cantabrigiensis
deprompta, nobisqve communicata:
Et sic Anglorum beneficio apud Germanos
in Academia Julia
die 21. *April.*
in lucem edita,
Historicoqve huic operi
Oecumenici Constantiensis Concilii res complexo
commodo loco inserta,
Felicissimis Auspiciis
Serenissimi Brunsvicensium Ducis
RUDOLPHI AUGUSTI,
CÆSARE
LEOPOLDO
MAJESTATIS & JURIUM ROMANO-GERMANICI IMPERII ASSERTORE POTENTISSIMO.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf